

dere se nolle. Facile intelleges contractum favorabilem hac basi pangit potuisse. Hunc subitum fortunae motum Sancto Gerardo acceptum referentes, grati villaे nomen imposuimus «Fazienda São Geraldo».

Faxit Deus Optimus Maximus, Sanctis Clemente et Gerardo cum Patre legifero tutantibus, ut iuvenatus noster genuino spiritu imbutus in dies magis magisque floreat, et multos eosque validissimos educet sacerdotes et missionarios pro Vice-Provincia necnon pro bona hac republiка catholica, quae, proh dolor! tanta laborat presbyterorum penuria.

E VICE-PROVINCIA ARGENTINA

De missionibus generalibus urbium episcopalium Melo et Salta. (1)

I. Confrater noster carissimus, *Eximus Michael Paternain*, cum a. 1929 invitus a Summo Pontifice Episcopus Melensis creatus est, sponsam accepit pauperrimam. Etenim in republica Uruguay, ubi omnimoda Status et Ecclesiae separatio viget, clerus a potestate civili ne hilum quidem recipit; inter catholicos vero, licet populus sit bonae voluntatis, indifferentismus et ignorantia rerum ad religionem pertinentium late grassantur, maxime ob ingentem sacerdotum penuriam. Nuper ex decem pueris boni ingenii ad sacerdotium aspirantibus duo tantum in Seminarium admitti poterant, quia sustentationis media desunt. In ipsa urbe Melo Eximus D. Paternain non habet tot sacerdotes, quot necessarii sunt ad Missam pontificalem iuxta ritus ecclesiasticos celebrandam; Melo enim, oppidum 18 000–20 000 incolarum, partim late per campos dispersorum, paroeciam unicam habet cum unico sacerdote! Exstant tamen ibi praeter cathedralem duae aliae ecclesiae seu oratoria publica, B. M. V. de Monte Carmelo et S. Ioseph sacra. (2)

Ubi primum Eximus D. Paternain hanc pauperem dioecesim gubernandam suscepit, urbi episcopali suae gratiam sacrae missionis, tanquam efficacissimum contra tot mala remedium, offerre constituit, et cum ipse missionarius sit expertus et probe sciat, quantopere conferat ad bonum missionis exitum eam bene praeparare, huic praeparationi totas vires suas dicavit. Iam die 30 Novembris superioris anni per litteras pastorales futuram missionem indixit, a die 14 ad diem 30 Martii habendam, et orationes publice in omnibus ecclesiis fieri iussit ad divinum auxilium

(1) R. P. *Theodorus Brinkmann*, qui in habenda missione Melensi partem habuit, primo argumentum Germanice tractavit; de Salta scripsit R. P. *Guilielmus Steimel*.

(2) Recordemur, quot templa speciosa, quot sacerdotes S. P. N. Alphonsus in civitate S. Agathae Gothorum, notabiliter minore, habuerit; in sola aede cathedrali amplius 40 presbyteri erant!

arduo operi efflagitandum. In urbe Melo ipse cum populo omni fer. V per horam ante expositum SS. Sacramentum orabat et similiter omni sabbato in ecclesia Carmeli, omni fer. IV in aede S. Ioseph. Praeterea folia typis imprimenda curavit ad animos missioni praeparandos, quae ipse inter infirmitatis dolores lucubravit et apposite «Praecursor» inscripsit. Horum foliorum sex numeri ante missionem gratuito inter parochianos distributi sunt.

Praesulem zelantissimum quaedam piae feminae adiuvabant invitandis ad missionem singulis familiis, itemque nonnulli iuvenes ubique per urbem magnis de missione foliis affigendis.

Missione hoc modo sapienter praeparata, ipsa vespere sabbati, 14 Martii, in cathedrali ecclesia inaugurata est. Primum R̄mus Episcopus sacrum suggestum ascendit missionarios salutatum et fideles ad gratiae singularis diligentem usum exhortatum. Tum missionis Superior, Pl. R. P. Vice-Provincialis Petrus Wienen, solitum sermonem introductionis habuit.

Post hanc exordii caerimoniam statim «divisio apostolorum» facta. Melius enim Episcopus noster iudicavit tres missiones parallelas fieri, in templo cathedrali, in Carmeli, in S. Ioseph ecclesia. Tamen nonnulla missionis exercitia communia erant pro tota urbe, nempe benedictio infantium (aderant 1279), Missa pro paroeciae defunctis et magna ad coemetarium processio, in qua circ. 2500 interfuerunt, communiones generales parvulorum et virorum, pompa sollemnis cum Cruce missionis ultimo die dominica instituta, et Crucis erectio die in sequenti ultimumque vale.

Inde a primo die missionis apparebat non frustra illi ab Ordinario loci tam diligentem praeparationem praemissam esse; nam statim ardens studium audiendi verbum Dei videbatur, quod quidem alias vix tertio aut quarto die obtinetur.

Missionarii nostri quinque (tres Bonaërenses in Cathedrali templo, duo Montisvideani in ecclesia S. Ioseph) adiuvabantur a duabus Claretianis (in ecclesia Carmeli) et a Patre S. I., qui unice convalidandis matrimoniis occupabatur.

Missionis fructus, attentis attendendis, optimus dici debet, quandoquidem in tribus illis missionibus parallelis numerabantur:
 Confessiones 1804, quarum 330 virorum confessiones;
 Communiones 5481;
 Baptismata 179, quorum 63 baptismata adulorum;
 Confirmationes 398;
 Matrimonia 110.

Agitur de revalidatione connubiorum illegitimorum; concubinatus enim magna plaga illarum regionum est. In missione Melensi ritus sacer pergebatur publice post contionem vespertinam. Singulis paribus pulchra imago Cordis Iesu dono dabatur, tum communiter fiebat «intronisatio»,

quae vocatur. Unum ex his paribus iam per 44 annos cum contemptu legis divinae et ecclesiasticae individuam vitae consuetudinem retinebat.

Alii missionis fructus nudis numeris comprehendi nequeunt, veluti quod religio eiusque ministri nunc magis honorantur. Missione finita, cum die 30 Martii omnes denuo in ecclesiam cathedralem congregati essent ad grates Deo O. M. reddendas, zelantissimus Episcopus etiam missionarii eloquenti sermone gratias egit, simul gregem suum monens, ut crastino die s. communionem pro benefactoribus suis Deo offerrent, id quod amplius 800 fideles hac fer. III maioris Hebdomadae volenti animo fecerunt.

Brevi post triplicem hanc missionem quidam Abbas Syrus sui populi filiis, qui circ. 200 numero e Libano illuc immigrarant, per 8 dies peculiarem missionem praedicavit, et duo Patres S. I. duobus locis a centro magis remotis in tabernaculo mobili duas alias missiones habuerunt. His quoque apostolicis laboribus non defuit caeli benedictio, ita ut in fine hi de missione Melensi numeri cor Exmi Michaelis Paternain consolarentur:

Confessiones 2294 (444 confessiones virorum);

Communiones 6 240;

Baptismi 227 (101 baptismi adulorum);

Confirmations 469;

Matrimonia 182, et alia 32 in via ad convalidationem.

Faxit Deus, ut illae quoque oves errantes, quae intra missionem oblatam gratiam respuerunt, postea resipiscant et convertantur ad Dominum.

II. *Salta*, in qua urbe reipublicae Argentinae nostri inde ex a. 1892 sedem fixerunt et in praesenti 30 000 hominum habitant, nuper post intervallum 18 annorum denuo gratiam missionis Alphonsiana habuit. Primum in suburbis, ubi adhuc ecclesiae et paroeciae formatae desunt, tres missionarii domus Saltensis tres missiones inter adiuncta difficillima instituerunt, et partim quidem sub divo. Pestis concubinatum ibi saeve grassatur; tamen licuit eorum 60 in christiana matrimonia commutare. Circiter mille homines peccata sua confessi sunt, et 400 a loci Ordinario sacramentum confirmationis receperunt.

Hae tres missiones praeambuli instar viam parare debebant ipsi missioni principali, quae postea simul in 4 ecclesiis urbis habita est. Ea de causa ad 3 missionarios Saltenses alii 8 ex variis Vice-Provinciae dominibus accesserunt. Qui pacis nuntii sabbato, 4 Iulii, sollemni pompa sub sonitu omnium campanarum a collegio nostro deducti sunt ad aedem cathedralem, in eius aditu ab immensa multitudine plausibus excepti. Sub cantu *Benedictus* in templum ingressi, ab urbis Praesule crucem missionalem et paternam salutationem acceperunt, quibus peractis Adm. R. P. Otto Robrecht, missionis Superior, prima contione missionem aperuit.

Vix illi 11 Patres per sesquiseptimanam ministerio suo sacro functi erant, cum quaedam oppidi ephemeris haec scripsit: « Redemptoristae, missionarii egregii, quamdam urbis nostrae immutationem perfecerunt.

Cotidie fideles processionaliter ad quattuor ecclesias migrant veritates nostrae sanctae religionis auditum. Verum aliud quoque hac missione efficitur, siquidem ultimis 48 horis in publico officio 90 matrimonia inscripta sunt, ad quam rem faciliorem reddendam fer. VI peculiares officiales ad tres ecclesias mittentur. »

En huius missionis fructus universus, quoad nudis numeris exprimi potest:

Confessiones 7892, quarum 1268 virorum confessiones.

Communiones 20 000.

Matrimonia convalidata 207.

Infirmi sacramentis provisi 62.

Autumant incolarum 30 % missionis gratia usos esse, id quod, attentis personarum, temporum locique adiunctis, exitus bonus dici debet. Qua in re haud exiguum meritum sibi vindicant illae piae feminae ex urbis familiis amplissimis, ultra centum numero, quae primum singulas familias ad missionem invitaverant et connubia illicita detegere ac sanare quam studiosissime satagebant.

E PROVINCIA S. LUDOVICI

Inter Statuum Foederatorum Mexicanos.

Per universam Statuum Foederatorum regionem dispersi sunt multi Mexicanii, praesertim vero inveniuntur in terris ad meridiem et occidentem sitis, in Statibus nempe Texas, Oklahoma, New Mexico, Arizona, California, Colorado, Kansas. Eorum numerus accuratus ignoratur, quia sine intermissione alii e patria adveniunt, alii eo revertuntur, sed opinantur hunc numerum ad vicies, immo ad tricies centena milia pertingere.

Fere omnes hi Mexicanii extrema paupertate laborant, ita ut impares sint vel simplicissimae e ligno ecclesiae fabricandae. Iis praeterea vulgo non sunt fixae mansiones, verum de loco in locum migrant, quaerentes ad tempus operam in hortis et campis vel alibi. Ipsi nesciunt Anglicam linguam, et perpauci inveniuntur sacerdotes Americani qui Hispanice loquantur; Mexicanum vero sacerdotem arcessi vix fieri potest. His adde quod isti Mexicanii haud raro longe distant ab aliqua ecclesia catholica. Hinc passim fit, ut sine sacrificio Missae, sine baptismo, matrimonio christiano reliquisque sacramentis miserrimam vitam degant.

Episcopi Americani, licet tot aliis curis urgentibus distenti, tamen hos Mexicanos patriae exules non plane negligunt; immo considerunt quamdam unionem seu Congregationem piarum seminarum, quae Mexicanos peregrinantes sequantur et eorum parvulos doctrinam christianam edoceant; atvero multis magnisque impedimentis obstantibus factum est, ut